

V 12  
2489









Q. 186. 11

III, 6412

Vk

2489

DISSERTATIO,  
WOLFGANGI MAMPHRA-  
SII, D. THEOLOGI, ET EPI-  
scopatus Misnensis Superintendentis,  
DE MIRACVLIS  
BENNONIS EPISCOPI OLIM  
Misnensis, Annis 1601. & 1602.  
Monachi editis,

Et  
D. VIRGINIS HALLENSIS,  
*Iusti Lipsi Hallis patris. Quæ Monachenses  
& Iustus Lipsius cernui demirantur, &  
Divina dispiciuntur.*

Ad refutandum  
Venerando Concilio Pastorum Ephoriæ  
Misnensi addictorum proposita  
Ad diem 6. Octobr. Anno Christi nati 1606.

AUGUSTINUS.

Plurima sunt Dæmonum talia facta, quæ quanto  
mirabiliora confitemur, tanto cautius ea vitare  
debemus.




LIPSIÆ,

Impensis JOHANN: BÖRNERI junioris, bibl.







INSIGNIS SENTENTIA  
Theophilacti contra Papistas.

*Virgo, inquit, plenius edocta glorificat Deum, illi miraculum ascribens non sibi: Ille enim, inquit, respexit ad me humilem, non ego illum suspexi, ille mei misertus est, non ego illum quesivim, Quam ob causam beatam me dicent omnes generationes? num propter meam virtutem? non, sed quia magnifica mihi fecit Dominus.*

AUGUSTINUS  
Contra Donatistas, miraculis turgentibus, quos mirabilia-  
rios nominat.

*Contra quos, inquit, cautum me fecit Deus meus, dicens: Surgent pseudochristi & pseudoprophetae multi.*







# P R Æ F A T I O A D L E C T O R E M.

S. P.

**E**N HABES CANDIDE LE-  
ctor, meam de miraculis tum Bennonis  
Episcopi quondam Misnensis, tum D. Vir-  
ginis Hallensis dissertationem, contractiori-  
bus limitibus confinitam, eam tibi arrisuram,  
proficua[m]que fore, spero, imò quia natura  
humana aliàs, nisi Verbi divini ancoris alli-  
getur, Superstitioni prona, non minus ne-  
cessariam, quam veram opellam me concin-  
nasse arbitratus sum. Lubrica namq; sunt ea  
quæ Iustus Lipsius olim Professor Ienens: lau-  
dū calamistris cælotenus sublimare conatur,  
& haud minus stolidiora, quib. Monachenses  
in publica conspiratione apricari magno nisu  
student. Idcirco originem & vitam Benno-  
nis unà cum miraculis, dum in vivis ageret,  
perpetratis, prodromi instar pauculis de-  
pingere verbis visum est, antequam res in foro  
aperiunda tractetur, & justum examen de  
eiusmodi rebus instituat. Est enim Benno  
patre comite Saxonix, non disitè Goslariâ  
degente,

A 2

degente,



4 degente, & Bezela matre progenitus, Benno-  
poli, quæ vrbs Hildesia vocari nunc consuevit,  
oriundus, natus in hanc lucem Anno 1010.  
traditus in obsequium Bernhardi Episcopi  
Bennopolitani, sub quo à teneris iuventutis  
annis educatus, in vicesimo quinto ætatis an-  
no Diaconatui fuit præfectus, postea Sacer-  
dos & Abbas declaratus, & deniq; decimus  
Episcopus Misnensis à Burchardo I. designa-  
tus, cuius Successor fuit Hervicus VVurcen-  
sis. Dedit se dictus Benno Studio Theolo-  
gico in Gallia (in cuius Scholam Parisiensem  
CAROLUS MAGNUS tunc primò Theolo-  
gica introduxerat) in eoque insignia Docto-  
ralia est consecutus. Obijt anno ætatis 96.  
Episcopij 40. Anno Christi 1106. Hujus  
miracula dum vitam Misenæ degeret, appo-  
nimus, sicuti & Hieronym: Emserus in tumba  
Bennonis anno 1512 promulgata tradit.

I. Conversit aquam ex Albi flumine de-  
portatam in Vinum.

II. Cruce se signans sicco pede per eiusdem  
aquæ fluentia rapacia transivit, quem ruricola  
id videns, cum plastro fœni tutò e vestigio  
planè eodem modo secutus est.

III. Ranis silentium imposuit.

Cum



IV. Cùm Romam iter esset emensurus, S  
clavem Templi in Albim dejecit, quam rediens in Pisce recepit.

V. Vult Hieronymus Emserus, precibus Bennonis fontem scaturijisse.

VI. Frumenta circa quæ deambulaverat, statim præcocia facta.

Inter quæ notatu dignum est Septimum: Cùm Marchio Misnensis bona Ecclesiæ aliquatenus dispartivisset, nec reddere voluisset, & quadam vice à Bennone ob id gravius argueretur, nec ratione objecta posset diluere, ira tandem percitus Bennonem duro percussit colapho, ob quod prædixisse fertur, se revoluto anni confinio colaphum vindicaturum esse, in quo scilicet anno Benno moritur.

Circumacto autem anno, cùm Dies ultioni dictus introgrederetur, & fermè ad vesperam vergeret, & Marchio præsagium ludibrio haberet, irridens, ad consiliarios suos diceret, Videte Diem, quem nobis atrum vaticinatus est Benno, &c. Conspexit tunc Bennonem (Diabolum puta) qui antea humatus erat adventantem, se ad orientem, & a deò percutientem, ut inauspicatò suorum opem deprecare-



6 precaretur, & ita Marchio vita violenter or-  
batus expiravit.

Hæc & alia sunt miracula, à Bennone  
in vivis dum esset, patrata, quæ succinctè an-  
nectere hîc libuit, de reliquis post mortem,  
sicuti etiam de LIPSIANIS in sequentibus  
dicturus. Vale, & de proposito & facto ho-  
nestè judica. Dabantur VVurcenæ, An-  
no 1606.

*VWolfgangus Mamphrasius,*  
*D. S.*



*Fesuita*





## I.

**I**ESVITÆ MONACHENSES IN  
præfatione miraculorum Bennonis anno 1601. &  
1602. Monachi editorum, allegant Sessionem vicesimā  
quintam Concilij Tridentini, de Invocatione, Venera-  
tione & reliquis Sanctorum, quæ ita sonat: Mandat  
Sancta Synodus omnibus Episcopis docendi munus, cu-  
ramq; sustinentibus, &c. *Ut fideles diligenter instruant,  
docentes eos sanctos unā cum Christo regnantes, orationes  
suas pro humilibus DEO offerre, bonum atq; utile esse,  
suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda  
à DEO per filium eius Iesum Christum Dominum  
nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad  
eorum orationes opem auxiliumq; confugere. Item in  
calce præfationis clamitant Monachenses: S. Benno  
intercedere dignare pro nobis in Cælis, cujus mentionem  
facimus in terris. Notetur quod adversarij cum Tri-  
dentino Concilio doceant, non tantum ad orationes, sed  
etiam ad opem & auxilium confugiendum esse, & San-  
ctos in Ecclesia Pontificia non tantum ut intercessores,  
sed etiam ut opitulatores, auxiliatores Patronos & lar-  
gitores invocari, id quod abominabile audiu:*

## II.

*Hanc impiam & detestandam opinionem Año 1605.  
introduxit Iustus Lipsius in tractatu suo Antuerpiæ  
excuso.*



8 *excuso, quem indigitavit D. Virgo Hallensis Iusti Lipsi, &c. Vbi fasces summi honoris submittit Idolo Hallensi, & eò intendit, ne solus Deus colatur, sed imprimis Idolum Diuæ Virginis, non jam Diuæ tantum, sed Numinis & Deæ, sicuti omnes totius libelli pagine contestantur, quæ breuiter jam appono.*

*Diva Con-  
solatrix.*

*Cap. 1. Tene ergo Diua cerno? te fruor & datur ora  
tueri? Suscipe & tibi deditum ò admitte clientem.*

*Cap. 3. Cognomen, Diuæ consolatricis inditum.*

*Cap. 5. Consensu & velut compacto in unam Diuam  
Virginem incurrere.*

*Cap. 6. In una re ciues constantes, ad Diuæ opem con-  
fugiunt pijs votis, Et mox: Quis non laudes gra-  
tesq; sacre Virgini corde, ore, plausu dixit?*

*D. Conser-  
vatrix.*

*Cap. 8. Diua virgo omnium ore laudes accipit, &  
ab ipso quem seruauit, testimonium.*

*Cap. 9. Ille flebiliter iterum Diuam nec frustra in-  
vocat, quippe, quæ claris radijs immisissis locum illu-  
strauit, & simul vires addidit ad perdurandum.*

*Cap. 10. Pater pueri immergi interno instinctu ad Vir-  
ginem Hallensem se conuertit, eiq; vitam, puerum,  
preces, offert. Mox vita redijt, Puer palpitat, letus  
cum patre domum abit.*

*Cap. 11. O potens, ò benigna, nos quoq; ab eodem fallaci  
Serpente defende, & quæ caput eius semel in sacra  
partitione tua contriuisisti, ne cauda nos flagellet, aut  
sternat, adiuua & indulge.*

*Cap.*



Cap. 13. Fuit qui succurreret, Diuam Virginem

9

Hallensem communibus votis vocibusq; in vocan-  
dam. Item, vitam se testari, votum bona fide soluere.

Cap. 14. Eamus mea filia, coram gratias acturae beni-  
gnissimae patronae cui tu sanitatem, ego vitam debeo.

Cap. 15. Tollit in caelum oculos, O Dei mater quae  
Hallis coleris, matri succurre, ego & filius tibi sospi-

tes sistemur, votum facio. Item, Reddunt & ipsi votum  
Hallis lubentes, merito, tibi Virgo auxiliatrix.

D. Auxilia-  
trix.

Cap. 16. Votum Diuae Hallensi concipitur, quod ab ea  
auditur.

Cap. 17. Consecrare infantem Diuae Hallensi suadent,  
redivivum defert & offert, ac voti se assoluit.

Cap. 18. Suggestum colere, votumq; iam effugiunt ad  
Diuam hanc Virginem. Item, Post paucos dies,  
voti damnata mater Hallas venit puellam comite, quam  
offert merito suae Servatrici.

Cap. 20. Ad Diuam Virginem quae Hallis colitur, ani-  
mum vota, precesq; vertit pater, & Votum peregrina-  
tionis addit. Item, Calidis precibus lacrymisq; opem  
poscit, Mox, cum eodem Hallas venit gratias acturi,  
& laudes Diuae meritissimae propagaturi.

Cap. 21. Spem & fiduciam in Diua Hallensi ponere.  
Ego vero te Diua veneror supplex atq; invoco, quae  
puerum a morte ad vitam donec in veram vitam sur-  
geret, reduxisti, nos quoq; Benigna intuere, & effice,  
ut momentanea hac vita sancti ad illam aeternam, te

B Duce



Dux & Di-  
rector ad vi-  
tam æternā.

D. Libera-  
trix.

D. Servatrix.

Duce & Directore veniamus, quòd per illum, quem genuisti, te quæ genuisti precamur ò Diua Diuarum. Cap. 22. Ad illam Virginem Hallensem appello, ea me tueatur. Mox: Ad Diuam perge, cui promiseras autorem salutis cognoscere, & meam ab illa deponere.

Cap. 23. Toto corde eam invocat. Item, Ibi liberatricem Diuam meritò est veneratus.

Cap. 24. Diuam Hallensem in mente habet & invocat.

Cap. 25. Incidit cogitatio Inchyte Hallensis, & statim eo animum mittit.

Cap. 26. Invocat statim Virginem Hallensem.

Cap. 27. Ex cordis penetrati, suspiria & preces ad eam mittit. Mox: Nil prius habuit quàm ad Servatricem suam venire.

Cap. 28. Hominem Diuæ offerunt, & vota pro eo interponunt. Et: Diuam ipsam in loco salutatum venit, de beneficijs grates precesquæ dictum.

Cap. 29. Diua Hallensis ei in mente atque ore est, & Diua avertit, & subuculam eius modò scindit. Item, Solatium & iuvamen benigne promitteret.

Cap. 30. Diua tamen tuita est, sanumquæ perduxit Hallas.

Cap. 31. Vota exolvit DEÆ.

Cap. 32. Salutem corporis ab ea peteret, & animum sibi dicere, in Diuæ benignitate prorsus sperare.

Cap. 33. O Diua parens me tuere, cum Diuam hanc palam invocas. Item, Solâ Diua, cui se devouerat per medios hostes eripiente.

Cap. 34. Diuam Virginem solenni supplicationis die in visunt. Cap.



Cap. 35. Vouent huic, si aspirasset, nudis pedibus Hal-  
lensem Aedem in visere, oblaturosq; tabulas, g. enis cer-  
tum modum eius honori elargituros.

Cap. 36. ô Diua tua benignitas, tu illa Regina Cœli,  
terræ, maris, supra quã nihil nisi Deus est, quam  
precib. imploro & inuoco. Tu uere nos & respice, E-  
mēda, erige te dignos cliētes, cœlo dignos incolas effice,  
Tu perenne gaudiū, vitamq; Diua Lipsio pares tuo.  
Age in his omnibus, quæ profecuti sumus, quæ uspiam  
Dei partes? Quod Christi meritum? quæ redemptio? Vbi  
in Christo fiducia, spes? Vbi nomen eius auditum? Quis  
ab eo petijt auxilium? Quis gratias egit pro accepto? Quid  
opus fuit filio, si mater est consolatrix, auxiliatrix, Pa-  
trona liberatrix, DEA, Dux & Directrix ad vitam  
eternam?

### III.

Nos duplicem concedimus cultum I. Est religiosus,  
quem Græci θεοσέβειαν, ευσέβειαν, δδλείαν, λατρείαν, vocant,  
Soli DEO tribuendum. 2. Est civilis τιμή I. Pet. 2. qui  
Sanctis tribui potest, quatenus Dei dona in Sanctis ve-  
neramur, illorum piè recordamur, illos merito laudamus.  
Quemadmodum Epiphanius Sanctos monet, non adoran-  
dos sed honorandos. Sed aduersarij quadruplicem Idolo-  
maniã defendere conantur, 1. α γιολατρείαν, & δυητολατρείαν.  
2. σκελετολατρείαν. 3. εικωνολατρείαν. 4. αρολατρείαν.  
Idque duplici cultu, 1. Interno, qui in corde est, ni-  
mirum fiducia, spes, inuocatio.

B 2

2. Exter-



2. Externo, qui fit genu flexione, capitis apertione, salutatione, cereis, vestitu, floribus, corollis, altaribus, suffitu, alijsq; ineptijs & anicularum deliramentis. Hancce Idolomaniam ex Diametro repugnare scripturæ hisce probatur rationibus.

## IV.

Ad doctrinam θεόπυδωσop ceu ad Lydium lapidem est respiciendum, & ne ad latum unguem ab ea recedendum, nisi enim ad gnomona omnia dirigantur, errare mentes necessum est.

Atqui doctrina θεόπυδωσop expresse docet, quod invocatio sit cultus soli DEO debitus, non hominibus. Non habebis DEOS alienos. Item, Dominum tuum adorabis, eiq; soli servies. Honorem meum alteri non dabo, Es. 42. Invoca me, Ps. 50. Exod. 20. Non facies tibi sculptile, non adorabis ea nec coles. Habac. 2. Væ qui dicit ligno, expergiscere, surge, lapidi jacenti. Nunquid ipse docere poterit? Ecce ipse coopertus est auro & argento, & omnis spiritus non est in visceribus eius.

Ergo qui sanctos invocant, ante lignum, statuam proni prostratiq; & supinas manū ad Idoli genua protendunt, illa ora quæ non vident salutant, illis auribus, quæ non audiunt surdas occinunt nœnias, ac deniq; affectus suspendunt Idolo, à doctrina θεόπυδωσop nefarie recedunt creaturas in solium & thronum Dei collocant, quod est impium & blasphemum.

Nec



Nec tegumentum Papisticum locum habet: Non  
tribuimus aliquam virtutem materiae vel formae statua-  
rum, sed imaginibus vel Deum ipsum, vel sanctos ado-  
ratione, colimus, & sic honorem imaginibus exhibitum  
ad  $\pi\epsilon\sigma\omega\tau\omicron\tau\upsilon\omega\sigma\omicron\upsilon\pi$  referimus. Verum **DEVS** in ima-  
ginibus aut per imagines honorari non vult, siqui-  
dem honorem sibi debitum non vult ulli creaturae, ne-  
dum imaginibus pictis aut sculptis arteq; fabrefactis  
tribui. Non igitur imaginibus, nec statuis, aut simulacris  
deferendus est.

V.

Fide imprimis orandum est.

Sed fides non potest ulli sancto, sed soli Deo inniti Ier 17.  
Maledictus est, qui confidit in homine. Ergo

Idolatria est, creaturas invocare.

VI.

Nullum mandatum, neq; exemplum in universa  
scriptura extat de Invocatione sanctorum. In Esa. Cap. 64  
dicitur, Abraham pater noster nescit vos, Israel ignoravit  
nos. In veteri testamento nusquam extat haec forma:  
Noah, Abraham, David, exaudi, iuda nos aut ora pro  
nobis, Ergo &c.

VII.

Eum qui invocatur decet  $\kappa\alpha\epsilon\delta\iota\omicron\gamma\upsilon\omega\sigma\iota\alpha$ , cordium  
inspectio, gemituum cognitio & exauditio.

Verum id nulli creaturae est possibile, quia soli Deo  
competit.

B 3

Ergo



Ergo non possunt Sancti invocari, cum non possint  
omnium pectorū latebras perspicere, neq; ubiq; exaudire.

## VIII.

Nemo est invocandus, nisi in quem credimus, nam  
hæc duo sunt & exigisa, quicunq; invocatur, in illum cordis  
fiducia collocatur, Rom 10. Quomodo invocabunt, in  
quem non credunt?

Sed nos non credimus in Sanctos.

Ergo non sunt invocandi.

## IX.

Tantum ille invocandus est, qui habet omnipotentiam  
aut est omnipotens: Nam qui cæli, terræ, inferni non ha-  
bet potestatem, irritò & frustra invocatur.

At Sancti nec fuerunt, nec fient unq; Omnipotentes.

Ergo.

## X.

Petrus & Paulus nolunt se adorari vivos,  
Ergo Multò minus defunctos. Ratio constat, quia do-  
cuerunt primum & secundum Decalogi præceptum:  
Non habebis Deos alienos, non usurpandum nomen  
Dei vanè.

## XI.

Post tempora Apostolorum Invocatio Sanctorum  
in Ecclesiam Christi inundavit, eo ipso tempore, quando  
Antichristus cepit paulatim inclarescere, nempe circa  
tempora Augustini & deinceps.

Ergo est ipsius Antichristi fætus.

De



De in certis nemo potest quicquam asseverare

Sed an illi sancti sint jam tum in conspectu DEI, glorificati corpore & anima, non est certum, sed summè ambiguum. Ergo de illorum alloquio nil certi potest constitui: Mortuos esse sanctos constat, sed an corpora ipsorum humata jam tum resurrexerint & clarificata sint, nemo hominum vidit, nemo angelorum indixit. Quid igitur preces ad tales instituuntur, quorum aures, oculi, corda adhuc in pulveribus terræ recondita jacent? Facit quidem scriptura mentionem, quosdam Christo in cruce expirante è mortuis surrexisse. Verùm diuino consilio factum est, ut ipsorum nomina sint occultata, ne caligatæ mentes, quæ sibi aliàs florentioris sortis cursum impediunt, eos adorarent.

## XIII.

Illi qui juxta humanarum opinionum Septentriones statuuntur invocandi, non possunt citra conscientiarum dubitationem invocari.

Sed Papa Romanus qui est Antichristus illud parat & facit, nam canonizat & Ecclesiæ dicat qui pro diuis habendi & adorandi sint nec ne.

Ergo credibile est plurimos idololatricos & sceleratissimos homines, quos Papa canonisauit, atque nefariè in solium Dei collocare ausus fuit, in inferni abyssum præcipitatos, & in Iudicio extremo eò dejiciendos eliminandosque fore.

O igitur



O igitur insanos homines, qui sanctos invocant, & suas conscientias cauterio tali praegravant.

## XIV.

Descriptiones idolorum à causis & attributis desumptae, quae describunt falsè imò irrident Idolatrarum stultitiam, nostram sententiã stabiliant, Esa. 40. v. 19. 20. Imaginem fundit artifex, & aurifaber auro obducit eam, & facit argenteas catenulas. Qui corradit oblationem, lignum eligit, quod non putrescat, et quærit sibi artificem industrium, qui paret imaginem quae non alteretur. Esa. 41. 44. luculentior descriptio commemoratur, quomodo fabri ex ligno non putrescente statuam viri formosi effingant, eamq; clavo alligent parieti & adorent, reliquam partem ligni in foco coquendis panibus absument. Quae omnia per hypotyposin Spiritus sanctus introducit, ut Idolatrarum cæcitatem ac miseriam in ipsa luce palpantium depingat, & omnia idola vere Elilim, h. e. nullitates & vanitates esse ostendat. Similia testimonia extant Esa. 41. 46. Iere. 10.

Traditur etiam Psalm. 115. descriptio, Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, os habent & non loquuntur, oculos & non vident, aures & non audiunt, &c: Similes illis fiunt, qui faciunt ea, & qui confidunt in eis. Deut. 4. Sunt Dii manu hominum effecti, qui non vident nec audiunt, nec comedunt neque odorantur, 2. Sam. 5. Opinio inter gentes Iudæis cohabitantes erat, Hierosolymam Idolorum suorum præsi-



præsidio saluam & incolumem fuisse, quò minus in po-  
 testatem Israëlitarum veniret, & eius sententiam sic re-  
 fert scriptura: Dictum est Davidi, non ingredieris huc,  
 sed repellent te cæci & claudi, ita nimirum vocat scri-  
 ptura lebusæorum idola propter impotentiam. Propheta  
 Habacuc cap. 2. ut idolorum Vanitatem irrideat, vo-  
 cat ea אֱלֹהִים אֲלֻטִים h. e. idola muta per concinnam pa-  
 ranomasiam Hebraici sermonis. Hinc Paulus 1. Cor:  
 12. inquit, currebatis quondam ad simulacra muta. Me-  
 morabilis est Paulina idolorum ἀειθεσισ, qua 1. Cor. 8.  
 inquit: Scimus quia Idolum nihil est in mundo, & quod  
 nullus est DEVS nisi unus, Discernit itaq; Apostolus  
 ab imaginibus seu idolis id quod sunt, ab eo quod esse ju-  
 dicantur. Respectu materie & formæ sunt aliquid li-  
 gnum, aurum & argentum, sed hac ratione sunt nullius  
 aut exigui precij. Respectu eo quo à cultoribus esse pu-  
 tantur, nil sunt. Etsi enim impij aliquam divinitatis  
 vim idolis ascribunt, tamen cum illud falso fiat, sequitur  
 idola planè nihil esse in mundo. In mundo non est ido-  
 lum sed in corde hominis intus.

### XV.

Vnicus tantum est Mediator inter Deum & homi-  
 nes, homo Iesus Christus 1. Tim. 2. Vnicus advocatus  
 seu intercessor pro nobis idem Christus Iesus, 1. Ioh. 2.

Ergo Sancti nec mediatores nec intercessores esse  
 possunt, ac proinde nullatenus invocandi.

C

DUO



## XVI.

Duo commenta frigida & frivola afferunt Pontificij, quibus abominationis huius Sacrilegam atrocitatem subodorati hisce pigmentis fucare conantur. Scripserunt quidam Sanctos implorari, compellari.

R. Si vel maximè compellationis duntaxat cultus Sanctis tribuatur, tamen nec tali modo blasphemiae notam effugiunt. Nam sancti illi non in terris, sed in caelis cum DEO agunt: Certè ne à nobis compellari illi poterunt, nisi statuerimus, eos exaudire posse omnes, quotquot ubique terrarum illos invocant, corda scrutari, dignoscere suspiria gemitus. Id quod nil aliud est, quàm honorè majestatis divinae appropriatum & debitum creaturis tribuere.

## XVII.

Alterum commentum est, quod distinguunt inter Mediatorem redemptionis & intercessionis: Illum solum esse Christum, hos vero esse Sanctos. Sed ut Christus est solus Redemptor, ita etiam solus intercessor, per quem solum habemus accessum ad Patrem, qui etiam clamat, Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ipse enim solus Saluti hominum consuluit. Ergo ipsum in fide & invocatione ceu unicum Horoscopum agnoscimus.

Rom. 8.

## XVIII.

Præterdunt porrò adversarij ad Sanctorum invocationem, multa esse miracula facta, & adhuc fieri.  
Ergo



Ergo velinde eam ut piam & DEO gratam stabiliri.  
Hinc Iustus Lipsius miracula D. Virginis Hallensis  
plurima recenset, & Monachenses miracula Bennonis  
anno 1601. & 1602. edita promulgarunt, non anim-  
advertentes, se apud viros æquabili iudicio donatos,  
stultitiæ potiùs labem, dum res fabulis quàm rei proprio-  
res enarrant, sibiq; in tuto ac sudo agere persuadent, quàm  
æstimationis laudem, asportare.

19

NUNC DE MIRACVLIS  
Bennonis, Anno 1602. germanicè Mo-  
nachi excusis, & jam in Latinum  
translatis, agendum est, quo-  
rum decem comme-  
morantur.

I. Miraculum Bennonis.

Comparuit (sic enim scribunt) 1601 vigesimo  
primo die Novembris in templo nostro mulier, quæ  
Agatha Obermeyrin vocari consueverat, ætate qua-  
dringenta annorum confecta, ea querulabatur se dolores  
in sinistro pede tulisse, & immoderatos & Medicis de-  
testatos, adeo ut noctes diesq; somni & quietis expers,  
egerit, nec medicinae, seu chirurgiæ ullus, qui auxilia-  
tricem sublevationem suppeditaret, effectus, subvene-  
rit. Ea mulieri ligneum exasciatum ve pedem ad-  
jungendum esse, constans necessitas tulit, quod factum.

C 2

Cum

Ergo



Cum autem vice quadam meminisset Bennonis, eiusque miraculorum, mentem, spem, precesque in illum conijcere, & DEO votum faciendo, in honorem Bennonis Missa ut instituatur efficere, constituit animo; Præstitum. Ipsa peccatis ad Sacerdotem fassis, una cum alijs Missæ se adjunxit, & cum ligneo pede ad oblationem non sine molestia claudicando accessit misera. Quid fit? (sic enim referunt) cum in ara oblatio peracta, ipsa se tergotenus paululum recepisset, vertigine circumcincta est, ob quod attonita in aliqualem sensuum destitutionem humi prostrata fuit, subsellium tamen pristinum recolendo, statim pedem, qui antea inconceptibilis erat, conceptibilem exultabunda sensit. Inde cultro admoto, ligamenta eiusdem soluit, morbum in decrementum vergere vidit, & ita finaliter sanitati integratæ restituta est.

Secundum.

Ulricus Kracherus civis Monachiensis, uxorem suam Mariæ nomine vocatam per triduum in difficillimis partus discriminibus decubuisse, & denique filiam juvenulam peperisse, commemorat, cujus brachiolum sinistrum cutetenus protuberans, apertum & quasi nigrore coloratum fuit. Quare Medicos suppetiarum inclamavit, inauspicatò tamen omnia impendi, manifestatum est, & accessit, ut mater egrotantis, hominum colloquijs & intervenientibus stimulus commota, converterit se ad Bennonem, de cujus miraculis vulgaris rumor in urbe undique sparsus ventilaretur, eius auxilium implora verit, & qua-



Et quadrantem cere sponderit. Exinde infans se-  
quenti mox nocte, meliusculè se habuit, Et omnis tumor  
receptui cecinit.

21

### Tertium.

Nicolaus Plaunius Tibicen Monachensis Francus,  
narratoriè retulit, quod ipse diuturna ægritudine sit de-  
tentus, Et etsi Donæsti medici consilio usus, qui huic  
malo mederi, magno conamine nisus est, attamen incas-  
sum omnia delata fuisse, ingenuè fassus est. Idcirco Ben-  
noni denarium persoluendum sibi proposuit, ex quo tem-  
poris interuallo, corporis vigori restitutus, vita sana salu-  
briq; postluminio repositus est.

### Quartum.

Christophori Mairi tabellarij Monachiensis filius  
junior, Christophorus nomine, fermè bimulus, duobus  
rupturis in ore decubuit, dolores non leves sentiens, qui-  
bus nec ullum remedium, nec aquæ magno sumtu compa-  
ratæ mederi potuit, inde factum, quanto plus mora inter-  
posita, tãto magis morbus recruderit, et incurabilis eua-  
serit. p̄inde ægri mater Bennoni litare et Missam procu-  
rare adpromisit, quib. effectui datis, puerulus resanuit.

### Quintum.

Michaël Rollius civis Monachensis per aliquot annos  
ægro brachio Et doloribus magnis intabuit, sic ut id  
etiam omnem operam in minimis agendis recusavit, Hic  
Bennonem pro intercessione ad DEVM flebiliter invo-  
cavit, Et libram cere cum Missa condixit; Absoluto

C 3

penso





22 *penso invasit in ipsum ingens horror & tremor, post quem ex visu oculorum morbus diminutum iuit, ipse vero brachio suo sicuti alias operarum suarum satagere quivit.*

### *Sextum.*

*Anno 1602 Septimo die Febr. nobis Anna Mittermeyrin Antelingana, mœrore & angore circumfusa commemoravit, se per Duodecennium graviter propter pedis insanitatem & dolores inde ortos conflictatam, quippe cum consilia æquilibrio trutinata, auxilia affatim exhibita, & remedia ubertim accommodata, nil bonæ spei, aut sublevationis inferre visa sint, & patiens gressu claudicante uti cogeretur.*

*Hæc cum ita fuerint, & nec spes conciperetur, nec expectatio sanitatis recuperandæ crederetur, instinctu monitisq; consulissæ Monachensis, ut devota cliens, Bennonis fotui se insinuavit, Missamq; cum libamento pollicitata est, de quo statim tempore, malitia pedis conquievit, & ea in pristinum sanitatis gradum redijt.*

### *Septimum.*

*Anno 1602. Vigesimo sexto die Martij advenit in sacellum Templi nostri Andreas Schmidius linteo, alias Coburgio oriundus, is se per viginti annos vulneris ruptura, eiusdemq; angoribus & pressuris egrotasse, dixit, quem morbus iste singulis diebus creberrimè lecto affixit. Confluxerunt porrò vicini & inter se consilia dispartiverunt, quibus ipse concitus in honorem Bennonis*  
*Missam*



Missam procurandam & duas libras ceree offerendas  
destipulatus est, ex quo temporis momento inclinatio-  
nem sanitatis expertus postliminio revaluit.

23

### Octavum.

Adfuit octavo die Aprilis Anno 1602. præclarus  
miles nomine Daniel Molythor Bambergâ, qui in obsi-  
dione propugnaculi Vngarici, cujus Lacka nomen dicitur  
à Turcico milite tormenti ictu est perfossus, quo labora-  
vit per triennium, & magnis angitudinibus, originatione  
istinc desumentibus, malè admodum habuit, multominus  
sublevatione ex vitæ humanæ remedijs redundante fre-  
tus est: Hic postquam Bennoni, cum tamen Catholicæ reli-  
gionis consors non esset, cereum militem cum inclusa  
Missâ condixisset, morbum receptui canere persensit, &  
quod ex Catholicis parentibus progenitus, Catholico ritu  
baptisatus esset, &c. egrè tulit, qua de causa confessus, &  
Eucharistia Catholicè usus, & constantem se consore  
(sic enim referunt Monachenses) pollicitus est.

### Nonum.

Sexto die Maij Anno 1602. septima hora  
antemeridiana accessit Jobannes Herttelius ruricola  
Castenseensis, annum agens circa quingentesimum  
aut sexagesimum, asportans secum filiam Catharinam  
septendecim annorum, cum significatione, quod ea  
per undecim septimanas ingentes amborum pedum cru-  
ciatus perpeffa, & (quia morbus eam jacentem detine-  
ret, stantem non admitteret) vulnere in dorso afflicta sit,  
qui



qui suadente nimirum vicina Monachium iter emensus est, Bennonem in visit, & eiusdem protectioni se subiecit, & quadrantem cereæ libaminis loco pollicitus est. Ipse qui vix lares domesticos refovisset, morbum diminui & meliori auspicio remittere animadvertit. Sic puella paulatim sani corporis esse coepit.

Decimum.

Die vigesimo octavo Aprilis Anno 1602. Georgius Hoerll civis Monachiensis querimoniam suam detexit, referens ipsum per integrum & dimidium annum visum planè miserabiliter defecisse, sic ut implorato medici, qui oculorū vitijs mederi consueverat, consilio, auxilioq; usus sit, à quo sinistro oculo (quod tandem ipsi cessit commodo) sublevatione bona succursum. Habuit nihilominus in dextro oculo ineffabiles dolorū anfractus, quos intra acto septimanarum spacium sustinuit, eā molestiā, qua eidem nocturna diurnaq; requies interciperetur, sibiq; persuaserit furibundo delirio obnoxium fore, de quo iactā aleam præjudicabant cognati. Idcirco Bennoni persoluto cereo capite, una atq; altera pupilla, itemq; cerea addixit, quo transacto, ipse morbum decrevisse, & sanitatem recuperasse liberè fassus est.

Hæc sunt miracula mortuo Bennone Monachi edita, quibus ut fides daretur, Monachenses singulis annexerunt testes, atq; nos brevitatem observantes ne ambages prolixiores condantur, eosdem reliquimus.

MIRA.



Hallensis, à Lipsio divulgata, quo-  
rum summam & continen-  
tiam breviter apponere  
visum est.

1. Quidam inter aquas servatus in immani diluvio.
2. Puermersus in vitam revocatur.
3. Homo maligni ab eo liberatur.
4. Puer luminibus captus, & toto corpore æger ab utraq; labe sanescit.
5. Tempestate in aqua jactati & jam naufragantes erepti.
6. Furiosa virgo mentem recipit.
7. Puer in Mosa jam mergendus educitur.
8. Puer jammersus in puteo vitæ redditur.
9. Puer fascia strangulatus spiritum & vitam recipit.
10. Puella in puteum præceps lapsa & suffocata in vitam redit.
11. Puer triduum mortuus & sepultus reviviscit.
12. Puer diu amissus & in voragine mortuus repertus, iterum vitam recuperat.
13. Mira de puero item resuscitato, & sub terris reservato, non sine alijs stupendis.

**D**

Inno-



12. Innocens mirabiliter à laqueo liberatus.
15. Captivus è vinculis eductus.
16. Mulier sub rota mirificè servata.
17. Sartor qui acum in os immiserat, & porro in infimum ventrem demiserat, liber ab ea redditus.
18. Oculus ex ictu saucius, statim sanescit.
19. Bauarus nobilis in navi à morte eripitur.
20. Auriga cum vehiculo in aquam lapsus, vità donatur.
21. Multiplex tutela cujusdam militis in pugna, & post eam.
22. Vir nobilis è carcere liberatus.
23. Casula militaris à suspendio liberatus.
24. Religiosa virgo à Spasmo immunis redditur.

Et istiusmodi quamplurima, quibus supersedere operæ pretium fuit: quippe cum omnia sint sordentia, proprioque motu corruentia.

Hæc sunt miracula D. Virginis, qua auctore & auxiliatrice homines hos liberatos esse asserit Lipsius.

EXA-



## EXAMEN MIRACULORVM

Divæ Virginis Hallensis, & Benno-  
nis, Episcopi Misnensis.

Quamquam inficias minimè imus, ad memoriam  
& sepulchra Martyrum, & aliorum Sanctorum, edita  
fuisse miracula, plura tamen commentitia & ficta,  
quam vera: non tamen sequitur, ab ipsis Sanctis eorun-  
demq; reliquijs ea esse edita: Quod si vera fuerunt mira-  
cula; tum causa eorum efficiens est ipse Deus; causa fi-  
nalis, non invocatio Sanctorum, non cultus reliquiarum,  
sed confirmatio illius doctrinæ, quam in vita illi sunt pro-  
fessi, & suo sanguine contestati. Si fictitia fuerunt mi-  
racula, illusionibus Satanae, Deo permittente, hominibus  
sunt objecta. Ad dignoscenda autem hodierna miracula  
Papistica, tota doctrina de miraculis probè attendenda  
est, eaq; sunt duplicia, Divina & Diabolica, seu vera  
& falsa.

## XX.

Dicit Augustinus tract. 24, in Iohan. de miraculis,  
Quotidiana Dei opera, quibus mundum gubernat, mera  
esse miracula, & assiduitate viluisse. Maius, inquit, est  
miraculum gubernatio mundi, q̄ saturatio quinq; milliū  
hominum de 5. panibus, & tamen hoc nemo miratur,  
illud mirantur homines, non quia maius, sed quia rarum  
est, & secundum hanc sententiam omnia Dei opera sunt De divinis.  
miracula, i. e. miranda, & captum mentis humane  
superantia.

D 2

Sed



## XXI.

Sed in specie miracula dicuntur, eodem Augustino teste, divina quaedam opera: Præter & contra naturæ ordinem facta, quæ admirationem pariunt, & cedunt ad Gloriam divini nominis, & Ecclesiæ utilitatem.

## XXII.

Sicut autem duplicia sunt DEI opera, iræ & gratiæ: Ita quoque duplicia sunt miracula: alia in puniendis impiorum peccatis declarata: Alia in gratiæ divinæ signis erga pios.

## XXIII.

Signa miraculosa gratiæ DEI fuerunt. 1. Inflammatio victimarum, 2. Translatio Enoch, 3. Conservatio Archæ in diluvio, 4. Fæcundatio Saræ, 5. Donatio Mannæ, 6. Divisio Maris rubri & Iordanis, 7. Solis quies & reductio, 8. Defensio virorum in fornace. 9. Danielis, inter leones protectio. 10. Resuscitatio mortuorum.

## XXIV.

Huc pertinent omnia CHRISTI miracula, nullum enim iræ signum edere voluit CHRISTVS, ut officio satisfaceret, quo venerat, non ad perdendum, sed ad salvandum homines, Luc. 9.

## XXV.

Neg. ulla signa in Sole & aëre fecit CHRISTVS, quia per Esaiam fuerat prædictum Esaiæ 35. Qualia futura essent Messie miracula scilicet benefica, & quæ officium illius, & doctrinæ Evangelicæ conditionem, qualis esset, innuerent.

Signa



Signa miraculosa iræ DEI fuerunt, 1. Catachysmus mundi, Deinde linguarum confusio, 3. Conflagratio Sodomitarum, 4. Plagæ Egyptiacæ, 5. Interitus Rebellium in Deserto, quibus Dominus iram suam ad versus contemtores suos demonstravit.

## XXVII.

Nulla autem jam fiunt in Ecclesia manifesta miracula, propter 5. causas, 1. quia Evangelium CHRISTI nunc abundè satis est confirmatum miraculis, 2. quia nulla nova doctrina, sed à CHRISTO & Apostolis tradita, & signis & prodigijs declarata, 3. quia DEVS vult, ut magis ad verbum, quam ad signa attendamus. Ideò CHRISTVS loquens de notis, ex quibus cognoscendi sunt Prophetæ, non dicit à miraculis, sed à fructibus eorum cognoscetis ipsos Matth. 7. & Moses Deut. 13. non audies verba Prophetæ illius, sed quando audieris vocem Domini DEI tui: non Ergo ex miraculis, sed ex doctrina probandi sunt Spiritus. 4. Quia vult, ut signis CHRISTI, Propheticis & Apostolicis credamus, non ut nova quæramus, 5. Quia vult nos credere & non videre Ioh. 20. Beati, qui non vident, sed credunt.

## XXVIII.

Instant adversarij: Ergonè nulla hodiè in Ecclesia fiunt miracula? R. Sunt interna & spiritualia miracula, quæ hodiè fiunt ministerio verbi & Sacramentorum, ut collectio & Sanctificatio Ecclesie, Spiritualis

D 3

ejectio



ejectio Satanae, illuminatio Spiritus Sancti, conversio hominum, de quibus Gregorius Magnus dicit, Sancta Ecclesia quotidie facit spiritualiter, quod tunc per Apostolos faciebat corporaliter, & sic non tantum Apostolos spectat promissio Christi Ioh. 14. sed etiam totam Ecclesiam: Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, faciet, & maiora his faciet. Maiora autem opera sunt, quae omnibus fidelibus communia sunt, utpote  
 1. Fides in Christum. 2. Reportatio victoriae trium furiarum. 1. Carnis 2. Satanae 3. mundi. 3. Perseverantia in fide. 4. emigratio in seculum alterum. Haec sunt opera fidelium communia. Nam promissiones DEI spirituales sunt quaedam Categoricalae, quaedam hypotheticae.  
 I. Categoricala est, ubi omnibus credentibus promissa est remissio peccatorum, imputatio Iustitiae, & adoptatio ad vitam aeternam II. Hypothetica specialis, ut sunt dona excellentia cognitionis, fidei, spei, charitatis, gaudij &c. hic annexa est conditio mensurae & voluntatis Dei. Nam Paulus 1. Cor. 12. enumerat multa illorum donorum, quae vel cessarunt, vel paucis conferuntur, ut sunt dona sanationum, virtutum, &c.

## XXIX.

Et nostro tempore majus est miraculum revelatio Antichristi per Lutherum, quam Nebucadnezaris, qui Dan. 4. scribit. Officij mei esse judico, referre signa & mirabilia, quae DEVS altissimus in me edidit: Sunt enim signa eius permagna, & portenta eius ingentia.

Sic



Sic Esaias cap. 11 propagationem Evangelij, gentiumq; 31  
conversionem prænuntians, non minora in hoc opere di-  
vine Majestatis agnoscit miracula, quam Daniel in Me-  
tamorph: Nabucadnezaris; ubi dicit: Habitabit lupus  
cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus &  
ovis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.  
Iu uencus & vrsus unâ pascentur, simul requiescēt catuli  
eorum. Leo quasi bos comedet paleas, & delectabitur in-  
fans super foramen Aspidis, & ablaclatus manum suam  
mittet in cavernam Basilisci: non nocebunt, non occi-  
dent in universo monte sancto meo: quia repleta est terra  
scientia Domini, tanquam diluvio maris cōoperta.

XXX.

De miraculis falsis & Diabolicis præcipue qua- De miracu-  
tuor in quæstionem veniunt, 1. An fiant miracula falsa lis falsis.  
seu Diabolica? 2. Quinam faciant miracula falsa?  
3. Quotuplicia sint? 4. Quomodo differant vera & falsa  
miracula, & quomodo sint examinanda?

XXXI.

Quòd fiant miracula falsa, testatur Christus Matth. 24  
Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophete, & dabunt 1. Quæstio.  
signa magna & prodigia, ita, ut in errorem inducantur,  
si fieri potest, etiam Electi. Hic Christus loquitur non de  
divinis, sed de falsis miraculis, et de Antichristo expresse  
dicitur 2. Thessal. 2 cap: Cujus adventus est secundum  
operationem Satane in omni virtute, & signis & pro-  
digys mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.

Sic



Sic Apoc. 13. Miracula Antichristi describuntur: Et vidi aliam bestiam adscendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut Draco: Et potestatem prioris bestiae omnem faciebat in conspectu eius: & fecit terram & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis, & FECIT SIGNA MAGNA, ut etiam ignem faceret de caelo descendere in terram. Prior bestia designat imperium vetus merè politicum, sine specie sanctimoniae, adversarium autem regno CHRISTI, & blasphemum in DEVM directè. Altera bestia habens duo cornua, est Antichristus; duo cornua significant duplicem Papae potestatem, Ecclesiasticam & Politicam: Facit signa magna; haec autem non sunt vera sed falsa, quae peragitur cooperatione Satanae. 2. Thess. 2. ut etiam faciat ignem de caelo descendere. Hic non intelligitur ignis externus, sed excommunicatio Pontificia, qua Papa fulminavit adversus Imperatores, Reges & alios.

## XXXII.

2. Quaestio.

Ad alteram quaestionem? Quinam faciant? respondemus. Diabolus 2. Thess. 2. Falsi Doctores, Matt. 7. Antichristus, 2. Thessal. 2. faciunt falsa miracula. Fiunt autem à Diabolo, vel immediatè, vel mediatè per Magos, Pseudoprophetas, incantatores, maleficos, & alia consimilia Satanae organa, quorum opera utitur, ut sibi devinctos retineat, & alios in errorem inducat.

Mira-



Miracula falsa vel Diabolica sunt opera, arte & industria Satanae vel hominum malorum, ceu ipsius instrumentorum facta, vel fieri visa, ad confirmandam impiam doctrinam, & cultus Verbo Dei adversantes, seducendos homines, vel in errore retinendos. 3. Quæstio.

## XXXIV.

Sunt autem duplicia, 1. Partim vera, quæ ita verè fiunt, sed non sunt miracula, nec quicquam in se continent præternaturale; Partim ficta & commentitia, quæ non verè fiunt, sed fieri tantum videntur, & sunt præstigiæ ac delusiones Satanae; vel figmenta hominum, quæ fallacia humana simpliciter sunt conficta.

## XXXV.

Eiusmodi autem signa sunt, 1. Apparitiones animarum, hominum recens defunctorum efflagitantium mystas aut alios superstitiosos ritus, 2. Sudores & cruores statuarum 3. Risus & fletus imaginum. 4. Sermones & gestus statuarum, & multæ aliæ huiusmodi imposturæ, quæ interdum arte sic confectæ fuerunt, aut illusionem Diabolicam sic comparatæ, 5. Enthusiasticæ excursionem ad remota loca, ad truncos vel ad ossa, falsò plerumq. nominata Sanctorum. 6. Sanationes ægrotorum, quos prius afflixerat Satan, quæ fiunt factis votis ad aliquem Divum, ac visitatis templis atq. simulacbris, alicui Sancto dedicatis, ibi persolutis donarijs. 7. Ejectio Dæmonum exorcistarum Papisticorum, per concepta verba & adjurationes, quæ non fit miraculosè, sed

E

malitio-



malitiosè, nam ad illorum nenas Diabolus non unquam  
cedit, & sponte migrat, ad stabiliendum regnum suum,  
ut in locum corporalis obsessionis succedat spiritualis.

## XXXVI.

Existimamus enim hanc facultatem ejiciendi nemi-  
nem usurpare posse, nisi cui singulari Dei beneficio sit  
collata, Filij Scævæ Act. 19. temerè & absq; fide Dæ-  
monem expellere tentant, in nomine **JESU**, sed sue te-  
meritati graves dederunt pœnas.

## XXXVII.

Posse Diabolum mira quædam opera facere, tum  
ex historia Exod. 7. 8: tum ex profanis scriptoribus re-  
rum Romanarum & Græcarum satis constat. Sed hoc  
observandum est, quod Paulus 2. Thessal. 2. &  
Apoc. 13. utantur vocabulo miraculi non strictè sed laxè  
p̄ omni opere, quod nouum & mirum hominib. videri so-  
let, licet ex modo, & ex causis naturalibus producat,  
unde vox miraculum sæpè sumitur pro eo, quod rectius  
mirum dixerimus; Aliud est mirum, quod græcis  $\sigma\mu\lambda\epsilon\iota\sigma\mu$   
&  $\delta\alpha\upsilon\mu\alpha$  appellatur, aliud autem miraculum, quod  $\delta\epsilon\gamma\alpha\sigma$ ,  
unde voces istas distinguit Augustinus: Miraculum est  
propriè opus aliquod, quod contra vim ipsis rebus natura-  
libus à Deo insitam efficitur, quod omnes omnium re-  
rum creatarum vires superat, nec ab ijs effici potest. Ideò  
miraculum solius Dei opus est, Satan non nisi, & per  
causas, & per modum naturalem efficere quicquã potest.

Nam



Nam quicquid ille per se vel per suos famulos facit, aut omninò mera animi oculorum vè illusio est, aut verus causarum tantum naturalium effectus, Ideò vera miracula propriè sic dicta non potest operari Satan. Sunt enim requisita miraculi propriè sic dicti. 1. creare & inmutare ordinem naturæ. 2. novas vires & proprietates rebus inferere. 3. rerum omnium creatarum vires & potestatem excedere. Hec omnia Satan efficere nequit, neq; per se neq; per sua instrumenta; sed tantum deludit eos singulari naturæ peritia, sic etiam, quos debilitavit, potest, Deo permittente, in integrum restituere; Sed est mera illusio, Sed verè miracula fecerunt Moses & Aaron, quæ Magi, quanquam exercitati in Satanicis artibus, non potuerunt edere, & facti sunt dignum Dei in miraculis Mosis elucere, Exod. 8.

### XXXVIII.

Et licet quædam Diabolica miracula verè fiant, tamen dicuntur signa mendacia propter fines, ad quos referuntur, & propter quos Deus Satane permittit, miracula edere, quorum sunt tres, 1. Ut tententur pyrum in veritate verbi constanter perseverare velint, & fides illorum probetur, circumspectioresq; reddantur, ne quamvis doctrinam amplectantur, 2. Propter malos, ut eorum ingratitude & contemptus verbi puniatur. 2. Thessal. 2. eò, quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio. DEVS dicitur hinc mittere efficaciam illusionis: non tamen huius autor est.



Illusio ista tam DEO quam Satanæ tribuitur diverso respectu. Satanæ ut autori eius deceptionis: qui eandem operatur efficaciter. Itaque ortus, principium & origo deceptionis Diabolo tribuitur. DEO autem non ascribitur respectu ortus, quia malum culpæ non est à Deo, sed respectu finis, quatenus videlicet id, quod Satanæ operatur, justo iudicio fieri permittit, eum in finem, ut suam in contemptoribus verbi sui iusticiam declaret, Sic ergo illusio tribuitur Deo, ut justo iudici vindicanti contemptum Verbi & Sacramentorum, & Satanæ permittenti tanquam suorum iudicium executori. 3. Ut appareat, quanta sit Satanæ potentia, quam efficax sit in incredulis, ut illos in errores pertrahat.

### XXXIX.

4. Quæstio.

Differunt autem miracula I. Causa efficiente: Vera habent autorem Deum, falsa Satanam, qui est mille artifex & varias præstigias hominum oculis obijcere potest, uti videre licet in reductione Samuelis mortui ab inferis. 1. Sam. 28. II. Formali causa tripliciter. 1. falsa pugnant cum Verbo Dei, Vera congruunt cum verbo. 2. Vera sunt certa, quæ sine omni impostura præter naturæ seriem & cursum fiunt, falsa cum impostura fiunt, & sunt lusus & præstigiæ. 3. Vera sunt opera creationis & omnipotentiae, inimitabilia Satanæ. Non enim potest Diabolus, nec homines, facere miracula Dei & Christi. Falsa autem Satanæ & hominibus fingere facile est. III. Causa finali, Vera ad Deum ducunt, & de certi-



certitudine doctrinae testantur, falsa ad Idola & errores adducunt, eaq; stabiliunt.

37

**XL.**

Hinc profluunt regulæ, juxta quas examinanda sunt miracula. I. Si quis affert falsam doctrinam pugnantem cum Lege et Euangelio, is nullo modo audiendus est, qualicumq; edat miracula, etiamsi mortuos resuscitare posset, extat hæc regula Deut. 13. Si surrexerit in medio tui Propheta, dederitq; tibi signum vel portentum, e veneritq; portentum, quod prædixit tibi, & dixerit, Eamus post Deos alios, non audies verba Prophetæ ipsius, Quia tentat vos Dominus Deus tuus. Item si quis Evangelium aliud docuerit, etiamsi angelus de cælo fuerit, sit anathema, Gal. 1.

**XLI.**

II. Si quis nihil docuerit contra Legem vel Euangelium, attulerit verò præter ea capita novas revelationes, easq; probaverit per miracula, tum diligenter ea examinanda sunt, & videndum, num sint opera creationis & omnipotentia, inimitabilia Satanae. Hæc regula extat Deuter. 18. Quod si in corde tuo dixeris, Quomodo scire poterimus verbum, quod non locutus est Dominus? (Hoc habebis signum) quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non e venerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta consinxit, & idcirco nō timebis eum, Deus enim mentiri nequit, Diabolus verò non potest omnia illa perficere, quæ prædicat.

E 3

Si



III. Si quis miracula profert, quæ deducunt ad Idola, errores & Idololatrias, ille nullo modo est audiendus. His regulis perpensis omnia miracula Bennonis Monachensis, & Divæ virginis Hallensis Lipsianæ, hoc ἀδίαλύτω Syllogismo prosterni & discuti possunt. Quæcumq; miracula introducunt falsam doctrinam, pugnantem cum Lege & Evangelio, ducunt ad Idola, errores & Idololatrias, nec sunt opera creationis & omnipotentiae; illa sunt miracula falsa, mendacia, lusus, præstigiæ, fraudes, frustrationes Dæmonum. Atqui miracula Bennonis Manachensis, & Divæ virginis Hallensis, introducunt falsam doctrinam, quæ pugnat cum Lege & Evangelio, ducunt ad Idola, errores, idololatrias, nec sunt opera creationis & omnipotentiae Ergò miracula Bennonis & virginis Hallensis sunt nefanda, falsitate & mendacijs undiq; confecta.

Major probatur suprà positis notis & negitioe miraculorum ex verbo Dei depromtis. Minor est planissima. Ergò.

## XLIII.

Justus Lipsius vult sua miracula mangonio & phaleris exornata redimire discrimine verorum miraculorum à falsis dato. Vbi sic inquit: Triplex nota est, qua vera à vanis miracula differunt, Magnitudo, finis & fides: Sed illæ notæ sunt ambiguae, periculose & false. Nam magnitudo non semper in divinis miraculis est maxima, ut in vellere Gedeonis videre licet.

Et



Et rectè Augustinus dicit, non magnitudine operum  
 miracula constare, maius quippe alioquin esse opus, uni-  
 versam hanc mundi machinam gubernare, quàm lumen,  
 quo destituitur, cæco restituere: & in sacris constat,  
 Deum permittere magna signa ad tentandos homines &  
 explorandos, item ad puniendos malos, ut suprâ dictum  
 est, Christus ipse & Paulus testantur, Antichristum &  
 Pseudopphetas edituros magna signa, nec de fore, qui  
 Dæmonia in suo nomine eijcerent, quos ipse tamen non  
 sit agniturus Matth. 7. Quapropter Lipsius dolosè con-  
 fundit hæc duo distinguenda, scilicet alia miracula sunt,  
 quæ Deo faciente fiunt, alia, quæ Deo permittentè; &  
 faciente Diabolo aguntur, nec semper differunt magni-  
 tudine.

### XLIIII.

Præterea nota miraculorum ponitur fides? Sic  
 enim sonant eius verba formalia, Omnia fidem habent, Pag. 25.  
 si ve libris sacris tradita, qui non magis quàm eorum au-  
 ètor (is Deus est) mentiuntur; si ve bonis testibus arbi-  
 trisq; affirmata: deniq; fidi etiam perfectiq; operis, nec  
 retractant ex facili, aut mutant; hîc falsò scribit Lipsius,  
 si ve bonis testibus arbitrisq; affirmata, quia mendax est  
 omnis homo, & etiam boni facilimè in errorû præcipitia  
 prolabuntur, & testibus creditur, ubi sensibus fides sua  
 constat, & ipse Lipsius hanc suam fidem fallacem notã  
 esse ipse quasi fatetur, cum apponit, deniq; fidi etiam  
 perfectique operis, nec retractantur ex facili, aut mutãt.

Quod



Quod si Lipsius fidem hanc suam non in persuasione hominum, sed in re ipsa considerat, petit Principium, quæ vera dicuntur, quæ fidem, i.e. veritatē continebunt. Nos igitur rectius Evangelico sensu statuimus, miracula fide dijudicari posse, sed illa, quæ est in verbo Dei fundata, & ad ejus veritatem & doctrinam miracula exigit & accommodat.

## XLV.

Pag. 24.

Deniq; discrimen ponit Lipsius à fine, ubi sic scribit, Non fallax & iste caracter, Quod vera miracula ad verum & unum Deum, falsa ad falsos & multos ducunt. Hæc in ludibrium ac noxam fiunt: illa in serium fructum aut salutem. Hæc est verissima nota, quæ ipsum Deum magnificat, sicut Moses dicit, Deut. 17. Sed Lipsius sibi ipsi contradicens aliud ore proloquitur, aliud mente sentit, Expressissimè enim fatetur, sua miracula non ad verum DEVM ducere, sed ad falsa numina pag. 26. ubi sic scribit: Interroget autem aliquis: Sed cur miracula hæc non ipse in suo nomine Deus, & magis sæpiusq; hodiè in Divorum, & sæpissimè Divæ suæ matris edit? Cum Augustino respōdeam; non opus nunc Christo asserendo prodigijs: imò si quis ea requirat: ipsum esse prodigium, qui, mundo credente, non credit: Excipio si apud gentes longinquas res geritur, & omnis fidei nostræ adhuc expertes. At in Divis quia aliter est, & multi etiam Christum professi, obstrigillane



gillant eorum cultui, aut honori, merito extra ordinem  
 eos asserit: & quos abijciunt, allevat; quos obtenebrant  
 illustrat. Et quis nescit, tot istas hodie novellarum  
 opinionum sectas, consensu, & velut de compacto in unā  
 Divam virginem incurrere, & decus eius omne ire  
 imminutum? Ergo iste vindex tuetur & auget cotidie;  
 & ausim dicere, nullibi in nullo nomine, aut titulo, plura  
 & majora miracula, quā in eius exhiberi,

### XLVI.

Hæc omnia, sicuti omnes totius libelli pagine cla-  
 mant & testantur Lipsium, non ad unum & verum  
 Deum ducere, sed à vero Deo & uno, ad Idolum Beatæ  
 Virginis, ut supra in tractatione invocationis prolatum  
 est. Ergo ceu noctua ad orientem Solem sic omnia  
 miracula Bennonis, Divæ Virginis Hallensis, dilabun-  
 tur, fugiunt ad aspectum & lucem Evangelij, & quam-  
 vis ad cælum usq; extructa aq; exaggerata sint: tamen  
 levi momento & quodam modo sua sponie corruunt.

### XLVII.

O benignissime IESU, Salvator vnice,  
 lumen cordis & Spiritus solatium, amor &  
 salus nostra, irriga animas nostras arentes  
 rore cœlestis gratiæ tuæ, qui incomprehen-  
 sibili caritate nos amplecteris; O DEVS im-  
 perscrutabilis Sapientiæ, & ineffabilis boni-  
 tatis,

F

tatis,



tatis, in cuius conspectu angeli, & omnia con-  
tremiscunt; exaudi suspiria nostra gemibun-  
do corde depromta, & confunde Satanam,  
qui hoc seculo *ωπιθυμικω* blanditijs multifarijs  
hominum securorum animos inescare vehe-  
menter allaborat. Veni citò, tuaque lætissi-  
ma apparitione, quam sitibundo affectu ex-  
pectamus, Ovicula tuas, multis angoribus  
cinctas, libera & refocilla. Antichristum con-  
tumacem, hostem tuum infensissimum Spi-  
ritu oris tui confice, ut splendor benigni-  
tatis tuæ & veritatis inclarescat  
& illustretur. Amen.







L I P S I Æ

TYPIS BEERWALDINIS.



*Imprimebat* IACOBVS POPPOREICH.

ANNO M. DC. VI.



~~1/1~~ 2487 011



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG

m.c





ULB Halle  
004 969 804

3



f

V077









4

de gente, &  
 poli, quæ  
 oriundus  
 traditus  
 Bennopo  
 annis edu  
 no Diaco  
 dos & A  
 Episcopus  
 tus, cujus  
 sis. Dedic  
 gico in G  
 CAROLI  
 gica intro  
 ralia est c  
 Episcopi  
 miracula  
 nimus, sic  
 Bennoni  
 I. Cor  
 portatam  
 II. Cru  
 aquæ flue  
 id videns  
 planè eod  
 III. Ra

enno  
 neuit,  
 oio.  
 scopi  
 ntutis  
 is an  
 sacer  
 timus  
 gna  
 rcen  
 eolo  
 nsem  
 eolo  
 octo  
 is 96.  
 ujus  
 appo  
 umba  
 e de  
 s dem  
 ricola  
 stigio  
 Cum

